Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

§ 11

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

rissimâ intentione sumantur, atq; talia sint, quæ charitati neutiquam adversentur, nec animi pacem conscientiæve tranquillitatem perturbent; nam alioquin omnino essent intermittenda, eoquod scrupulosus nil magis in votis habere debeat, quā ut veram animi pacem adipisci queat, quam plane in silentio ac quiete atq; in dulcibus sponsi dilecti christi Jesu amplexibus longè facilius sibi comparare poterit.† Unde iis aut similibus remediis semper præferenda est Dei dilectio.

† quam in externis animi levaminibus.

§. 11mus

Plena in Deū resignatio.

Undecimū remedium est, ut scrupulosus postquā omnia, quæ hactenus adnotavimus, adhibuit remedia, nec tamen iis à suis scrupulis penitùs liberari potuit, tunc sibi optimè consultū esse noverit, si se in Dei voluntatem totaliter resignet, ac pro certo teneat, huiusmodi scrupulos sibi à sola Dei voluntate immitti, quatenus videlicet in humilitate magis consolidetur, Deoq; magis uniatur.

Quapropter oportet, ut nimiā sollicitudinem citiùs à scrupulis exemptum iri, omnino abiiciat, quin potiùs

totus in id incumbere debet, ut in
resignationem augmentum capiat,
quam si perfectè adeptus fuerit,
mirabitur se à scrupulis totali-
ter liberatum; fieri enim nequa-
quam potest, ut anxietas, pusilla-
nimitas, aut inanis formido in
homine Deo resignatum cadat.
Pone me iuxta te, et cuius vis
manus pugnet contra me, ait B.
Job c. 17. Nempe tunc non timebo
mala, quoniam tu mecum es. psal. 22.

Ratio autem fundamentalis est,
quod homo planè resignatus, cùm
~~omn~~ omnia de manu Dei suscipiat, ac aequâ lance penset, non
magis formidet aduersa quàm
appetat prospera; sicut enim
ei Deus in prosperis placet, sic
in aduersis non displicet; quò fit
ut huiusmodi homo summâ
animi tranquillitate perfruatur, ac proinde ab eo omnem anxietatem, omnem pusillanimitatem exulare necesse sit.

Novi quemdam, qui cùm plurimùm
aueret finem suis imponi scrupulis, nec tamen licet congruis
adhibitis mediis, quidquam aut

q in Dei voluntatem

saltem parū proficeret, tandē ad exercitium resignationis conversus, studuit pro viribus, ut omnia de manu Dei gratanter susciperet, ac specialiter sollicitudinem pro sedandis scrupulis penitùs abiiceret, et sanè non sine maximô sui emolumentô, nam quantò magis in hoc sanctissimo exercitio proficiebat, tantò magis anxietas seu scrupulus deficiebat; Vnde specialem Dei ~~[illegible]~~ admiratus pietatem, qui eum à scrupulis liberare nolebat nisi per viā, quâ ~~ipsum~~ ad veram perfectionem eveheretur, ac plenè Deo uniretur, in lacrymas solutus Deum impensè rogabat, nè ~~[illegible]~~ permitteret, ut à suis eximeretur scrupulis, sed solum tribueret gratiam resignationis, probè ~~[illegible]~~ intelligens ~~[illegible]~~, quòd si hanc nancisceretur, hoc ipsô omnis scrupulus depelleretur.

Igitur, quisquis scrupulos è conscientia radicitus evellere peroptat, huic planè divino exercitio sedulò incumbat, et tunc cor eius sensim ac sensim dilatabitur, seq; tandem penitus à scrupulis evacuatum mirabitur. Et hæc de remediis

pro scrupulosa deponenda conscientia in communi dicta sufficiant; nunc ad magis particularia descendamus.

Articulus 6tus

Quænam remedia inserviant scrupuloso, qui angitur, num tentationi internæ non consenserit.

Solent communiter scrupulosi cum malâ suggestione v.g. obscoenâ cogitatione appetuntur continuò subsistere, eam ~~ite~~ identidem versare, ac longū desuper instituere examen hôcce modô: qualis fuit illa cogitatio? diu ne ei inhæsi? aliquamne in ea culpam contraxi? an debitam, ut oportuisset renitentiam adhibui, aut consensum in eam præbui? Vnde nam illa ortum habuit? aliqua ne mea hîc intervenit culpa &c. Et hac ratione miselli cerebrum fatigant, caput obtundunt, mentem reddunt magis perplexam, meticulosiorē faciunt conscientiam, et sese ad insaniā propè redigunt.

Hi igitur 1mo noverit, quòd